



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. CVII. An Deus possit facere meliora, quam fecit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

tem verum est, si versus partem superiorem constitutus processum in infinitum in speciebus: nam si verius inferiori possent fieri infinitae minus, & minus perfectae; sequi videtur illud absurdum, nimirum fore aliquam determinatam speciem, quae licet non distaret in infinitum ab alia etiam determinate; esset tamen perfectior infinitis. Quod si infinitas perfectione excederet, ipsa in se esset infinita secundum essentiam. Idem incommodum inferri videtur, si concedamus inter unam speciem, & aliam posse produci infinitas: sequitur enim species extremas distare infinite, & ita supremam esse infinite perfectam.

Verum tamen neque hoc modo colligi videtur absurdum. Tunc enim solum extrema distaret infinite, quando inter illa, infinita multitudo produci posset participatione eiusdem formae: ut si inter quantitatem unam, & aliam possent esse infinitae quantitates inaequales, non communicantes, nec secundum proportionem: si enim hoc esse posset, sequeretur, supremam fore infinitam. Similiter in qualitatibus, & in augmento gratiae dicendum est. Quod autem inter unam speciem, & aliam sint infinitae, vel una excedat perfectione infinitas, non videtur satis, ut illa sit essentialiter infinita. Illa enim non diceretur excedere alias, nec multitudine perfectionum, nec quantitate, aut intensione, sed gradu essentiali. Infinitas autem gradus essentialis, quae soli Deo conuenit, nihil aliud est, quam non habere causam sui esse; sed à seipso esse, ut disp. 25. c. 3. explicauimus. Quod verb excedat una species infinitas alias essentiali perfectione, non videtur arguere hanc infinitatem secundum essentiam, sed gradum quandam distinctum, & perfectionem infinitis, ad quem aliae non possunt peruenire. Qua etiam ratione concedimus unam speciem ab alia infinitè distare, quia una ad statum alterius peruenire non potest.

DISPUT. CVII.

An Deus possit facere meliorem quam fecit.

Potest Deus producere vniuersum quoad aliquas partes perfectius, quam produxit, cap. 1.

Potest fieri aliud vniuersum melius constans substantiis omnibus diuersis, incertum est, cap. 2.

Hoc vniuersum permanentibus, quas habet, perfici posse, cap. 3.

CAPVT I.

Potest Deus producere vniuersum quod aliquas partes perfectius, quam produxit.

Cum de vniuerso quaerimus, an possit fieri melius, quam factum est, loquimur de ipsa vniuersitate rerum creaturarum praeter Deum: quod si Deum ipsum etiam cum vniuerso coniugas; inquit Durand. in 1. d. 44. q. 3. posse adhuc fieri melius, si aliqua creaturae meliores addantur vniuerso: non quod Deus melior sit cum creaturis, quam sine illis, sed quia vniuersum plura bona formaliter tunc complecteretur, quam modo. Licet enim Deus infinite bonus sit, quia tamen non continet omnes creatas perfectiones formaliter, ideo, si cum illo haberet vniuersum plures, & meliores creaturas, extensius perfectius esset. Frustra tamen Durandus comparat duo vniuersa inter se, Deum ipsam in vtroque complectens; siquidem

cum Deo inepta sit comparatio, & tota fieri debet ex parte creaturarum, quae vniuersum creatum dicuntur constituere: Deus enim non aliquid vniuersi, sed auctor illius esse dicitur. Nihilominus si aliquis velit comparare hoc vniuersum cum alio, coniuncto etiam auctore vniuersi cum vtroque, dicendum est, posse fieri aliud vniuersum perfectius, quam hoc, si perfectius, quod significat comparationem, non denotat quantitatem continuam molis, aut virtutis, sed discretam, in hunc sensum: potest esse perfectius, hoc est, plures alias perfectiones, aut naturas perfectas in se continens. Quod autem perfectius vtrumque genus quantitatis denotare possit, videbimus infra q. 30. art. 1. Quod si de ipsa creaturarum vniuersitate controuerlia intelligatur, adhuc superest difficultas, an possit fieri melius vniuersum.

Consentiunt autem Scholastici omnes, quos ego legi, & contra Aristot. 1. de celo cap. 9. affirmant, fieri posse à Deo aliud vniuersum, solo numero distinctum cum aliis caelis, elementis, & mixtis. Ita docent Bonauen. in 1. dist. 4. q. 1. S. Thomas ibid. qu. 1. art. 2. Durand. qu. 3. Gabriel q. v. vniuersi artic. 2. Maior astruit Bonae. qu. 3. Capreolus in 1. d. 43. qu. vniuersi artic. 2. conclusionem 2. S. Thom. Durand. Gabr. Maior. Capreol. Aristot.

Ceterum ratio haec friuola est: quis enim non videat intra quodlibet vniuersum esse centrum proprium, & naturale elementorum tantum illius vniuersi? elementa igitur vniuersi non appetent centrum alterius, quia ipsis non esset naturale: centrum enim ex constitutione ipsa corporum vniuersi locum sibi vendicat. Nam quemadmodum si Deus destrueret hoc vniuersum, & aliud faceret, elementa illius intra ipsum naturaliter manerent; sic etiam alio producto, & hoc permanente, elementa vniuersi cuiusque centrum tantum proprium appetent: centrum enim alterius, cum quo nullam habent communicationem, non esset ipsis naturale. Quocirca cum Aristot. nihil nouerit de ipsa potentia Dei absoluta, nec aliunde voluntas Dei illi innouerit, ratione illa probare non potuit, non esse nunc aliud vniuersum. Nos vero etiam si dicamus, Deum posse aliud facere, affirmare certo possumus, aliud non esse licet à Deo produci possit; quia ex sacra Scriptura de huius tantum vniuersi creatione nobis constat.

An vero fieri possit aliud vniuersum melius, hoc est, perfectiores continens creaturas controuersia est. Fatentur tamen omnes, posse quidem fieri, perfectioribus saltem creaturis, numero solum distinctis. Sed vtrum creaturis perfectioribus specie distinctis aliud fieri possit dubitat Durandus. Cum enim existimet, non posse produci creaturas specie distinctas in infinitum, sed omnes possibles finitas esse, incertum esse putat, vtrum omnes sint productae, quae de potentia absoluta creati possunt, an vero aliae supersint. Nos tamen, quia diximus, posse plures species in infinitum à Deo produci, asserere etiam dedemus vniuersum posse perfectius fieri cum aliis naturis specie distinctis.

CA.

CAPVT II.

Posse fieri aliud vniuersum melius, constans substantiis omnibus diuersis, incertum est.

Durandi
sententia.

4.
Probatur.

Aliorum
sententia.

S. Thomas.
Bonauent.
Capreol.
Gabriel.
Maior.
Confirmatur.

Vera sent.

Inter Scholasticos quoque dissentio est, an possit Deus producere aliud vniuersum ex aliis omnibus partibus huius nostri vniuersi à partibus huius nostri vniuersi. Ex quibus Durandus dubitat primum an possit tale vniuersum produci: quia pro comperto non habet, an plures species rerum, quam sunt productæ, possibiles sint. Deinde si plures possibiles essent, nihilominus docet, non posse aliud vniuersum specie distinctum produci. Probat vero hac ratione: quia omnes species, quæ producerentur, haberent ordinem ad eas, quæ nunc sunt in hoc vniuerso ergo non esset diuersum: nam vniuersum nihil aliud est, quam vnum quid per aggregationem. Miror tamen Durandum, non posse produci aliud vniuersum specie distinctum, bene tamen numero diuersum, cum eodem modo de vno, atque de alio probare videatur.

Alij vero Scholastici docent posse produci aliud vniuersum cuius omnes partes specie differant à partibus huius vniuersi. Sententia est S. Th. Bonæ, Capreoli, Gabrielis, & Maioris locis cap. preced. allegatis, qui hac ratione confirmant. Cum possint species in infinitum à Deo multiplicari, nihil obstat videtur, quo minus aliud vniuersum ex omni parte specie distinctam producat. Si enim aliquid obstat esset ratio Durandi: hæc autem est valde infirma. Quævis enim species alia, quæ produceretur haberet ordinem superioris & inferiori cū his, quæ productæ sunt, non tamen essent sub ordine eiusdem vniuersi. Nam mundus, seu vniuersum non est solum collectio quædam multarum rerum sed est vniuersitas earum sub vna superiori, inter quas inferiores à superioribus pendent, & gubernantur. Potest autem alia rerum multitudo produci extra hoc cælum, quæ ab eo, ab alia creatura intra ipsum nullo modo tanquam pars spectaret. Ratio ergo Durandi non obest, quo minus aliud vniuersum ex aliis partibus omnino diuersis fieri possit.

Verum enim vero, quia etiam si dicamus posse species multiplicari in infinitum, non tamen constat, an elementa simplicia, & cæli alterius speciei possint produci à Deo: ideo certo affirmare non possumus, aliud vniuersum specie distinctum secundum omnes sui partes posse produci; nam de mixtis facilius potest defendi: quamvis si vniuersum illud habere deberet, dicit hoc habere, creaturam rationalem corpoream, quæ esset velut præfates omnis corporalis creature, non potest specie diuersam produci: quia multo probabilius est non posse aliam creaturam rationalem corpoream specie diuersam ab homine creari.

CAPVT III.

Hoc vniuersum, permanentibus partibus, quas habet, profici posse.

Sententia
S. Thoma.

Sanctus Thomas in art. 6. ad tertium, affirmat, non posse fieri melius hoc vniuersum, permanentibus partibus, quas habet: quia bonitas eius

consistit in proportionem, & ordine partium inter se: si autem aliqua pars melior fieret, dissolueretur proportio, in qua à Deo constitutum est: ea vero soluta tolleretur debitus ille ordo, qui est indiuiduus. Deinde probatur ex Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. ubi sic ait. *Quicquid tibi vera ratione melius videtur, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem: id quod fufius ipse prosequitur.* Ceterum probabilitate non caret opinio Durandi quod illa 3. citata, nempe, posse fieri melius hoc vniuersum, partibus omnibus, aut aliquibus earum in melius mutatis. Ratio est, quoniam hæc harmonia, & consonantia partium inter se ad generationes, & reliqua omnia non est indiuidua, sed latitudinem habet: posset ergo melior effici, effectus etiam partibus ipsis melioribus. Porro si perseverassent omnia, ut in statu innocentie, & elementa ipsi homini obedirent, nec ullo modo ei nocere possent, & homo ipse in eo statu perseveraret, multo magis pulchrum redderetur vniuersum. Clarum autem est, partes vniuersi non posse perfici secundum substantiam, sed acciderarie, & de hac perfectione loquimur: & ex dictis patet solutio rationis allatæ pro priori sententia.

Ad Aug. respondeo, ipsum non negare, posse res meliores, aut in meliori statu productas: enim ibidem in hæc verba. *Quamobrem si re delectat creatura, quæ perseverantissima voluntate non peccat, non est placitum, quod eam peccanti recta ratione proponas, sed dubitandum, quod eam peccanti recta ratione proponas, sic eam creator Deus ordinatione præposuit.* Sentit igitur & iudicio nostro, & Dei meliorem esse creaturam, quæ non peccat: si ergo hoc vniuersum seruiret homini in statu innocentie sine peccato, multo esset pulchrius, nam multo meliori creaturæ seruiret. Quare fateatur Aug. meliorem potuisse fieri creaturam vniuersam, & in meliorem statum ordinari nihilominus subiungit, Deum eam reliquisse in manu consilij & permisisse in peccatum labi: in quo meliorem modum seruasse Deum, multis contendit ipse probare. Non dicit August. meliorem nunc fuisse hominem, quam in statu innocentie fuisse, sed meliorem modum seruasse ex parte sua Deum; relinquendo ipsum, & permittendo in peccatum prolabi: & ad hoc tantum inducit verba allegata pro priori opinione. Sic enim pie loquendum est de omnibus, quæ Deus facit, ut illa nunc facere melius esse arbitremur: nec temere iudicantes dicamus, melius faceret Deus, si hoc, aut illo modo faceret. Ceterum si Deus alio modo fecisset, & illud melius esse diceremus; sua enim voluntas quæ supra omnem legem est, optime dicitur facere, cum aliquid efficit, seu discernit.

Vltimo denique observandum est, hoc vniuersum non posse effici melius secundum ordinem, quem habet ad finem; hoc est, non posse ad meliorem finem ordinari, ut docent S. Th. Durand. & Capreolus; est enim propter Deum, quo nullas finis melior esse potest; sed quoad rationales creaturas perfecti posset circa finem, non quod ad meliorem finem referrentur, sed quod illum plures, & perfectius æquarentur. Quoad irracionales etiam perfecti posset respectus finis eodem modo; quia perfectius seruirent homini, & bonitatem Dei perfectius repræsentarent.

QVÆST.

De divina beatitudine.

Vltimo autem post considerationem eorum quæ ad divinæ essentia unitatem pertinent, considerandum est de divina beatitudine.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

ARTICULVS I.

Utrum beatitudo Deo competat.

AD primum sic proceditur. Videtur quod beatitudo, Deo non conueniat. Beatitudo enim secundum Boet. in 4. de Conso. est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sed aggregatio bonorum non habet locum in Deo, sicut nec compositio. Ergo Deo non conuenit beatitudo.

2. Præterea. Beatitudo, siue felicitas est præmium virtutis secundum Philosophum in 1. Ethic. Sed Deo non conuenit præmium, sicut nec meritum. Ergo nec beatitudo.

Sed contra est, quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. vi. Quem suis temporibus ostendet Deus, beatus, & solus potens Rex Regum; & Dominus dominantium.

Respondeo. Dicendum, quod beatitudo maxime Deo competit. Nihil enim aliud sub nomine beatitudinis intelligitur, nisi bonum perfectum intellectualis naturæ, cuius est suam sufficientiam cognoscere in bono, quo habet, & cui competit, ut ei contingat aliquid vel bene, vel male; & sit suarum operationum domina. Vtrumque autem istorum excellentissime Deo conuenit, scilicet perfectum esse, & intelligentem. Vnde beatitudo maxime conuenit Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod aggregatio bonorum est in Deo non per modum compositionis, sed per modum simplicitatis, quia quæ in creaturis multiplicia sunt, in Deo præexistunt simpliciter, & vnite, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod esse præmium virtutis accidit beatitudini, vel felicitati, in quantum aliquis beatitudinem acquirit: sicut esse terminum generationis accidit enti, in quantum exit de potentia in actum. Sicut igitur Deus habet esse, quamuis non generetur, ita habet beatitudinem, quamuis non mereatur.

ARTICULVS II.

Utrum Deus dicatur beatus secundum intellectum.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Deus non dicatur beatus secundum intellectum. Beatitudo enim

est summum bonum: sed bonum dicitur in Deo secundum essentiam: & bonum respicit esse secundum essentiam, secundum Boet. in lib. de hebdo. Ergo & beatitudo dicitur in Deo secundum essentiam, & non secundum intellectum.

2. Præter. Beatitudo habet rationem finis. Finis autem est obiectum voluntatis, sicut & bonum. Ergo beatitudo dicitur in Deo secundum voluntatem, & non secundum intellectum.

Sed contra est, quod Gregor. dicit 32. moralium. Ipse gloriosus est, qui dum se ipso perfuitur, accedentis laudis indigens non est. Esse autem gloriosum significat esse beatum. Cum igitur Deo fruamur secundum intellectum, quia visio est tota merces (ut dicit Aug.) videtur, quod beatitudo dicatur in Deo secundum intellectum.

Respondeo dicendum, quod beatitudo (sicut dictum est) significat bonum perfectum intellectualis naturæ. Et inde est, quod sicut vnaquæque res appetit suam perfectionem, ita & intellectualis natura naturaliter appetit esse beata. Id autem, quod est perfectissimum in qua libet intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia. Vnde cuius libet intellectualis naturæ creatæ beatitudo consistit in intelligendo. In Deo autem non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentiæ rationem. Attribuenda ergo est Deo beatitudo secundum intellectum sicut & aliis beatis, qui per assimilationem ad beatitudinem ipsius, beati dicuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa ratione probatur, quod Deus sit beatus secundum suam essentiam, non autem quod beatitudo ei conueniat secundum rationem essentia, sed magis secundum rationem intellectus.

Ad secundum dicendum, quod beatitudo cur sit bonum, est obiectum voluntatis, obiectum autem præintelligitur actui potentia. Vnde secundum modum intelligendi prius est beatitudo diuina, quam actus voluntatis in ea requiescentis. Et hoc non potest esse nisi actus intellectus. Vnde in actu intellectus attenditur beatitudo.

ARTICULVS III.

Utrum Deus sit beatitudo cuiuslibet beati.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus sit beatitudo cuiuslibet beati. Deus enim est summum bonum, ut supra ostensum est. Impossibile est autem esse

Titulo huius libri est: an omne, quod est, bonum sit circa finem suum.

Lib. 32. c. 5. inter medium & finem.

L. 12. d. C. uit. Dei cap. 19. aliquantulum a prim. c. 10. mo 5.

Art. præced.

158.

121. q. 3. ad 1.

Et 12. d. 4. 2.

q. ar. 2. q. 1.

Et 1. cont. c.

102. §. 2.

2. 6. a. 2. c.

4. q. 1. 21.

art. 3.

esse

esse plura summa bona, ut etiam ex superioribus patet. Cum igitur de ratione beatitudinis sit quod sit summum bonum, videtur quod beatitudo non sit aliud quam Deus.

2. Præterea. Beatitudo est finis rationalis naturæ ultimus. Sed esse ultimum finem rationalis naturæ soli Deo convenit. Ergo beatitudo cuiuslibet beati est solus Deus.

Sed contra. Beatitudo unius est maior beatitudine alterius, secundum illud 1. Corinth. 15. Stella differt à stella in claritate. Sed Deo nihil est maius. Ergo beatitudo est aliquid aliud quam Deus.

L. 5. confes.
c. 4. in prin.
tomo 1.

Respondeo dicendum, quod beatitudo intellectualis naturæ consistit in actu intellectus. In quo duo possunt considerari, scilicet obiectum actus, quod est intelligibile; & ipse actus, qui est intelligere. Si igitur beatitudo consideretur ex parte ipsius obiecti, sic solus Deus est beatitudo: quia ex hoc solo est aliquis beatus, quod Deum intelligit, secundum illud Augustini in 5. lib. confes. Beatus est qui tenet etiam si alia ignoret. Sed ex parte actus intelligentis beatitudo est quid creatum in creaturis beatis, in Deo autem etiam secundum hoc aliquid increatum.

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo quantum ad obiectum, est summum bonum simpliciter: sed quantum ad actum in creaturis beatus est summum bonum, non simpliciter, sed in genere bonorum participabilem à creatura.

Ad secundum dicendum, quod finis est duplex, scilicet cuius & quo, ut Philosophus dicit, scilicet ipsa res & usus rei. Sicut avaro est finis pecunia, & acquisitio pecuniæ: creaturæ igitur rationalis est quidem Deus finis ultimus ut res, beatitudo autem creata ut usus vel magis fructus rei.

ARTICVLVS IV.

Utrum in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.

159.
1. cont. c. ult.
tomo 5.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod beatitudo diuina non complectatur omnes beatitudines: sunt enim quædam beatitudines falsæ. Sed in Deo nihil potest esse falsum.

Ergo diuina beatitudo non complectitur omnem beatitudinem.

2. Præterea. Quædam beatitudo secundum quosdam consistit in rebus corporalibus, sicut voluptatibus diuitiis, & huiusmodi. Quæ quidem Deo convenire non possunt, cum sit incorporeus. Ergo beatitudo eius non complectitur omnem beatitudinem.

Sed contra est, quod beatitudo est perfectio quædam: diuina autem perfectio complectitur omnem perfectionem, ut supra ostensum est. Ergo diuina beatitudo complectitur omnem beatitudinem.

Respondeo dicendum, quod quicquid est desiderabile in quacunque beatitudine vel vera vel falsa totum eminentius in diuina beatitudine præexistit. De contemplatiua enim felicitate habet continuam & certissimam contemplationem sui & omnium aliorum: de actiua vero, gubernationem totius vniuersi.

De terrena vero felicitate, quæ consistit in voluptate, diuitiis, potestate, dignitate & fama, secundum Boet. in 3. de consol. habet gaudium de se & de omnibus aliis pro delectatione. Pro diuitiis habet omnimodam sufficientiam, quam diuitiæ promittunt. Pro potestate omnipotentiam: pro dignitate, omnium regum: pro fama vero admirationem totius creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo aliqua secundum hoc est falsa secundum quod deficit à ratione veræ beatitudinis: & sic non est in Deo. Sed quid habet de similitudine quantumcunque tenuis beatitudinis, totum præexistit in diuina beatitudine.

Ad secundum dicendum, quod bona, quæ sunt in corporalibus corporaliter, in Deo sunt spiritualiter secundum modum suum, & hæc dicta sufficiant de his quæ pertinent ad diuinæ essentiae unitatem.

IN tota hac questione nihil est disputatione dignum præter ea, quæ de beatitudine creaturæ rationalis 1. 2. à questione secunda dicenda sunt, quæ nam eadem proportionem de beatitudine Dei debemus philosophari. Neque vero in eius beatitudine aliquid peculiare est, nisi quod Deus suam naturam, & substantiam beatus à nobis intelligitur, præter quatenus eam ut operationem apprehendimus, ex quo etiam provenit, ut beatitudo Deo non sit præmium; sed natura sua in nobis vero sit accedens, & præmium laborum.

LA V S D E O

INDEX